

VRBANVS
PAPA
OCTAVVS.



AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Exponi nobis nuper fecerũt dilecti filij Decanus, ac Capitulũ, & Canonici Ecclesiæ Hispal. quod Gaspar Cardinalis Borgia nuncupatus, Ecclesiæ Hispaleñ. ex concessione, & dispẽsatione Apostolica, pręsul, simultaneam collationem, sive provisionẽ Canonicatuũ, portionum, & dimidiarum portionum dispositioni Sedis Apostolicæ reservatorũ, & præsertim in mẽsibus reservatis pro tempore vacãtium, eisdem Decano, & Capitulo, & Canonicis prætextu Regulæ Chancellariæ nostræ, de anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto ad favorem sanctę Romanæ Ecclesiæ Cardinalium publicatæ, auferre, prætendit, etiamsi pręfata Regula ipsius Cardinalis prætẽsioni nullo modo suffragetur, nec suffragari possit, cũ ipse Cardinalis, nullum ab ipsa Sede Appostolica confe-

ferendi beneﬃcia Eccleſiaſtica reſervata indultum ſibi concedi obtinuerit, & licet illud obtinuiſſet, tamen regula predicta, Eccleſiam Hiſpaleñ. præfatã, nullo modo compręhenderet, quę ſimultaneam collationẽ, ſive proviſionem non prætẽdit in vim participationis indultorũ conferẽdi ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus concedi ſolitorum, aut ex ſola aſsiſtentia iuris communis, ſed ſimultanea collatione, ſive proviſione, huiuſmodi, cum ſuis Archiepiſcopis, etiam Cardinalibus, etiam indultũ huiuſmodi habentibus, gaviſa eſt, nedum de iure communi, ſed etiã vigore ſtatuti in ipſius Eccleſiæ fundatione editi, & ab hac ſancta Sede confirmati, & per omnes Archiepiſcopos Hiſpaleñ. ac ipſummet Gaſparẽ Cardinalẽ in actu adeptionis poſſeſsionis ipſius Eccleſiæ Hiſpaleñ. iurati, & per centum annos, & ultra obſervati, imo in quodam contradictorio Pontificatus fœlicis recordationis Gregorij Papæ decimi quarti prædeceſſoris noſtri tempore canonizati. Quare Decanus, ac Capitulũ, & Canonici prædicti, nobis humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eoſdem Decanum, ac Capitulum, & Canonicos ſpecialibus favoribus, & gratijs proſequi volẽtes, & eorum ſingulares perſonas à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijſque Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis â iure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtũt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutas fore cẽſentes, huiuſ-

huiuſmodi ſupplicationibus inclinati tenore præſen
tium declaramus regulam noſtram prædictam Capi
tulum Eccleſiæ Hiſpaleñ. huiuſmodi non cõprehen
dere nec iuribus ſuis derogaſſe, nec derogare, etiam
ſi dictus Gaſpar haberet indultum conferendi reſer-
vata, cum ſtatuto in fundatione Eccleſiæ huiuſmodi
edito per regulam noſtram prædictam nullo modo
cenſeri debeat derogatũ. Decernẽtes pręſentes lit-
teras, & in eis cõtenta quæcumque valida, firma, &
efficatia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & inte-
gros effectus ſortiri, & obtinere, ſicq; per quoſcũq;
iudices ordinarios, & delegatos, etiam cauſarum, pa
latij Apoſtolici Auditores, ſublata eis, & eorum cui-
libet, quavis aliter iudicandi, & interprętandi facul
tate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere, ac ir-
ritum, & innane ſi ſecus ſuper his, à quoquã, quavis
authoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attẽ-
tari. In contrarium facientibus, non obſtãtibus qui-
buſcũque, ac etiam prętenſis indulto quocunque, &
facultate quacũque reſervata, & in menſibus alias
reſervatis vacantia conferendi, quorum tenores pręſentibus pro expræſsis haberi volumus, plenius con
tinetur. Datum Romę, apud ſanctam Mariam Ma-
iorẽ, ſub ãnulo Piſcatoris, die quarta Iulij, mileſimo
ſexcenſimo trigeſimo quinto, Põtificatus noſtri an-
no duodecimo. Marcus Aurelius Maraldus. Lo-
co ✠ annuli Piſcatoris.

huiufmodi fupplicationibus inclinati tenore præfentium declaramus regulam noftram prædictam Capitulum Ecclefiæ Hifpalen. huiufmodi non comprehendere nec iuribus fuis derogaffe, nec derogare, etiam fi dictus Gafpar haberet indultum conferendi referuata, cum ftatuto in fundatione Ecclefiæ huiufmodi edito per regulam noftram prædictam nullo modo cenferi debeat derogatum. Decernentes præfentes litteras, & in eis cōtenta quæcunque valida, firma, & efficatia exiftere, & fore, fuofque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ficque per quofcunque iudices ordinarios, & delegatos, etiam caufarum palatij Apoftolici Auditores, fublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate iudicari, & diffiniri debere, ac irritum, & inane fi fecus fuper his, à quoquam, quavis authoritate fcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obftantibus quibufcunque, ac etiam prædictis indulto, quocunque, & facultate quacunque refervata, & in menfibus alias refervatis vacantia conferendi, quorum tenores præfentibus pro expreffis haberi volumus, plenius continetur. Datum Romæ, apud fanctam Mariam Maiorẽ, fub ãnulo Pifcatoris, die quarta Iulij, millefimo fexcentefimo trigefimo quinto, Pōtificatus noftri anno duodecimo. Marcus Aurelius Maraldus. Loco ✠ annuli Pifcatoris.